

materialis, nempe Ecclesiam ab Apostolis et per Apostolos incepisse, et continuata serie eorum Pastorum regi qui tandem in Apostolos desinat; id nobis modo satis est. Istud vero est factum quod monumentis publicis et tabulis continetur, quod proinde ab homine videri visibilitate intelligibili potest quemadmodum videri possunt facta praeterita, visis nempe monumentis vel auditis testibus ea referentibus. Ergo omnes hae proprietates facto sensibili constant, vel ad factum sensibile revocantur.

Restat ut demonstramus eas esse notiores subiecto. Cum notae dicuntur notiores Ecclesia, termini duo qui comparantur sunt ex una parte ipsae notae, ex altera est Ecclesia vera Christi: non separantur re isti duo termini, nec concipiuntur separati, sed ratione distinguuntur, quatenus spectatur ex una parte subiectum in confuso, ex altera eius proprietates sive notae distincte cognitae considerantur, asseriturque subiectum sine notis spectatum esse adhuc saltem in concreto ignotum, cognitis vero notis, quae sunt eius proprietates, ipsum in concreto manifestari. Iam vero illud est notius altero quod immediate magis videtur quam alterum, et per quod ipsum alterum discursu quodam mentis videtur. Atqui hae notae, cum ad factum sensibile revocentur immediate videntur prae Ecclesia praecise spectata; et positis iis intellectus statim videt Unitatem, Sanctitatem, Catholicitatem et Apostolicitatem coetus alicuius; his autem visis quoniam ratio vel revelatio eum docet haec omnia non nisi Ecclesiae verae competere posse, concludit: ergo hic coetus, sive hoc subiectum harum proprietatum est vera Ecclesia. Ergo.

Diximus rationem vel revelationem id docere: nam revelatio quidem notae omnes docet; et si quis revelationem admittit, id ab ea discere potest: verum et sola ratio docet miracula, eximiam sanctitatem, qualis e. g. in tot martyribus fulget, catholicitatem quae in aliquo determinato coetu potest et debet spectari ut miraculum, certissima esse signa quod divina sit ea religio, divinus ille coetus, qui illis honestatur; eaque, aliqua saltem, necessario inesse debere illi coetui qui se Dei nomine loquentem sistit hominibus, fidem et obedientiam exigens.

Constat 2) has quatuor supradictas notae esse *necessarias*. Non dicimus eas solas esse notae; id minime opus est. Neque dicimus eas omnes necessario cognoscendas esse ut vera Ecclesia cognoscatur: hoc enim falsum est, ut videbimus: sed dicimus necesse esse ut omnes insint Ecclesiae verae, ita ut si una desit, inferri statim possit eum coetum non esse veram Christi Ecclesiam. Ratio est quia, ut probavimus, sunt omnes proprietates necessariae; et quia hae ad factum sensibile revocantur, opus est, ut etiam sub ratione notae

insint: ideoque omnes quatuor notae necessariae sunt. Hinc unaquaeque est nota negativa seu functionem negantem habens.

Constat 3) has quatuor notae esse *sufficientes*, et quidem a) tum omnes simul, b) tum etiam aliquas ex his tantum. Quamvis enim quaedam ex his seorsim non sit sola sufficiens ad logice discernendum positive veram Ecclesiam ab sectis haereticis et schismaticis: tamen aliquae seorsim quoque positive sufficiunt; nam sanctitas e. g. et catholicitas Ecclesiae Christi non possunt non haberi ut testimonium Dei. Hinc multo magis omnes simul sumptae sufficientes erunt ad positive demonstrandam veram Ecclesiam. Et sane in monumentis symbolicis per eas quatuor notae designatur vera Ecclesia: eaeque omnes simul sumptae eam societatem sistunt, qua nulla praestantior aut diviniore excogitari potest.

Quod intrinseco argumento haecenus probavimus, confirmatur quoque extrinseco ducto ab auctoritate Maiorum, qui his notis uti sunt ad veram Ecclesiam demonstrandam. Nam *sanctitate* uti sunt Apologetae contra Infideles, *Apostolicitate* contra haereticos et schismaticos Tertullianus De Praescript. et Optatus L. II. contra eosdem, *unitate* Cyprianus de Unit. Eccl., *catholicitate* Augustinus de Unit. Ecclesiae et Optatus ibid.

§. II.

Praeter coetum illum qui romana communione continetur, nullus est Christianus coetus, cui omnes notae necessariae et sufficientes competant. Imo quamvis quaedam ex quatuor proprietatibus memoratis possint alicui coetui, qui non sit vera Ecclesia, apparenter competere; facile tamen demonstrari potest nullam sectam orientalem vel occidentalem a romana communione distinctam merito sibi vindicare vel unam ex his proprietatibus. Unus autem coetus romana communione contentus is est cui omnes notae competant: ideoque appellatio Romana facta Ecclesiae nota est, qua vera Ecclesia a falsis sectis discernitur.

I. Duplex quaestio distinguenda est: 1^a an aliqua proprietas Ecclesiae Christi spectata secundum omnia propria elementa ideoque integre, possit *vere* competere alteri coetui Christiano, qui non sit vera Ecclesia: 2^a an quaedam proprietates, aut omnes, possint *apparenter* competere alteri Christiano coetui. Primae quaestioni respondendum est negative. Sane ut *vere* competat alicui coetui proprietas Ecclesiae, debet esse proprietas *vera*, h. e. constituta suis propriis et specificis elementis; si enim unum ex his deest, non amplius adest eius essentia, licet

apparenter videri possit talis. Elementa autem cuiusque proprietatis Ecclesiae sunt ea quae vel in ipso conceptu rei continentur, vel a Deo determinata sunt. Iam vero ad sanctitatem quod attinet, si spectes sanctitatem fidei, quae non potest esse nisi vera, sanctitatem legum quae verae fidei innituntur, perfectam et eximiam culturam virtutum, quae veram fidem, debitamque subiectionem iis quos Christus instituit supponunt, ac miracula et cetera charismata, quibus Deus sanctitatem Fidei, legum, hominumque constituentium coetum testatur; manifestum est quod sanctitas non nisi uni coetui, qui sit vera Ecclesia, competere potest. Item catholicitas, quoniam in eo est posita ut non solum Ecclesia sit simpliciter ampla, sed et comparative amplior sit quovis alio coetu, qui usurpat sibi immerito nomen Ecclesiae, non potest nisi uni verae Ecclesiae convenire. Unitas autem, ut vera sit unitas, postulat non solum aliquod principium unitatis, sed illud idem principium quod Christus determinate instituit; hoc vero non est nisi unicum, et in unico coetu, qui sit vera Ecclesia, esse potest: si enim alii huic principio adhaerent, iam non sunt coetus separati sed sunt pars verae Ecclesiae. Tandem Apostolicitas integre spectata requirit formalem successionem; haec autem necessario nexa est cum principio unitatis eo quod Christus determinate instituit: ergo et ipsa non nisi in vera Ecclesia esse potest. Ergo.

Alteri vero quaestioni quoad primam partem respondendum est affirmative. Ut enim apparenter aliqua proprietas alicui coetui competat, satis est quod aliquod elementum ipsius, illudque quod est primo visibile, in coetu videatur. Atqui liquet quod materialis successio ab Apostolis potest et in coetu reperiri, qui deinceps haeresim amplectatur, vel schisma faciat: item non repugnat quod aliquis coetus avulsus ab eo principio unitatis, quod Christus determinavit, tamen retineat unitatem doctrinae, regiminis, et sacramentorum, retineatque aliquod principium unitatis in auctoritate positum cui omnes subsint, et quidem secundum ideam genericam institutionis Christi, nempe in auctoritate Episcoporum, vel etiam unius Episcopi. Ergo.

Negative autem respondendum est eidem secundae quaestioni, si altera eius pars spectetur. Nam evidens est quod neque apparenter catholicitas potest inesse alteri coetui, qui non sit vera Ecclesia; ut enim apparenter insit, debet ille coetus videri, ideoque esse amplior quovis alio coetu Christiano: atqui id non nisi verae Ecclesiae competere potest. Rursus evidens est quod sanctitas virtutum secundum leges proprias alicuius coetus probata miraculis in sola vera Ecclesia esse potest. Deus enim nequit testari falsum. Imo et si sola spectetur cultura virtutum, est moraliter impossibile, ut haec per-

fecta et eximia cultura virtutum Christianarum, non in uno aut altero, sed in pluribus, eademque continua, sine vera interiore fide ac gratia sanctificante, usuque legitimo Sacramentorum habeatur; ista autem in sola Ecclesia obtinent: ergo in falsis coetibus nequit ea cultura virtutum se manifestare, cum non sit; hypocrisis autem in magna multitudine, et continua est moraliter impossibilis.

II. Iam vero cum proprietates assumuntur ut notae ad discernendam veram Ecclesiam, non possunt, ut iam monuimus, omnes considerari integre secundum omnia elementa essentiae suae: sed satis est eas sub quadam vera quidem, sed imperfecta ratione considerare, abstraendo nempe a quibusdam elementis specificis, quae eas vere constituunt. Si enim deberent omnes notae considerari integre secundum omnia elementa essentiae suae specificae, tunc quoad aliquas certe esset supponendum quod est in quaestione. Nam cum e. g. comparas invicem coetum Romanum, qui Romano Pontifici successori Petri adhaeret, coetum Graecorum, et coetum Protestantium; et adhibitis notis quaeris quaenam ex his sit Ecclesia Christi vera, supponis te ignorare, vel praescindis saltem ab hac notitia, si eam habes, quod nempe Ecclesia vera sit, ibique tantum, ubi est Petrus: ideoque praescindis ab hac quoque notitia, quod principium unitatis a Christo determinatum sit Petrus, eiusque successor; et idcirco praescindis etiam ab hac notitia, quod successio formalis Pastorum non nisi per Petrum eiusque successores haberi potest. Scilicet praescindis ab hac notitia, quodnam sit specificè determinatum a Christo principium unitatis, et quae ratio formalis successionis. At facta hac praecisione non potes amplius spectare integre secundum omnia sua elementa unitatem, et apostolicitatem. Posses quidem, ut declaravimus, hoc solum primitus demonstrato ex Scripturis, nimirum Primatu perpetuo Petri, concludere contra eos qui Scripturas admittunt solum Romanum coetum esse veram Ecclesiam Christi: sed si polemicè disputando permittis in quaestionem adduci an iste coetus sit vera Ecclesia, eamque quaestionem vis solvi per notas supradictas, nequis postulare ut illud iam admittatur, quod antequam provocares ad notas extra quaestionem poneret quaenam sit vera Ecclesia Christi. Ceterum si citra petitionem ullam principii demonstrare potes notas quasdam non nisi specie tenus, et materialiter tantum cuidam coetui inesse; hoc argumento bene probas illum coetum non esse veram Ecclesiam: constat enim debere proprietates formaliter et secundum rei veritatem Ecclesiae inesse.

Quamvis proinde in huiusmodi disputatione opus non sit proprietates omnes assumere secundum completam suam essentiam: necesse

est tamen, ut postquam per notas probaveris aliquem coetum esse veram Ecclesiam, demonstrare possis demonstratione quadam regressiva quod nulli alii coetui ulla proprietas *vere* competit; hoc enim verum est, ut probavimus in responsione ad primam quaestionem, idque est accurate notandum.

III. Iam vero coetus, de quibus quaestio institui potest, tres sunt, h. e. coetus Romanae communionis contentus; coetus Graecorum, qui schismatici dicuntur: et coetus Protestantium. Atqui 1) evidens est coetui Protestantium deesse omnes notas. Deest unitas fidei et regiminis, cum plurimae sint professiones fidei (confer opus Benigni Bossuet *Les variations*) et plurimae sectae invicem independentes; deest principium unitatis, quoniam singuli privato spiritu ducuntur, nec est in eorum coetibus auctoritas quae revocet omnes ad unitatem; neque auctoritas quae ibi reperitur ea est quam Christus instituit quae est auctoritas episcopalis; neque est eo modo quem Christus instituit, non enim ordinatione et institutione Episcoporum, sed electione et auctoritate populi aut regis mittuntur ministri. Deest sanctitas; nulla enim ibi miracula, nulla divina charismata, nulla perfecta et eximia cultura virtutum Christianarum: quamvis virtutes, ut aiunt, civiles, quales et ante Christum inter gentes existerunt, ibi sint, vel esse videantur. Imo et quaedam eorum dogmata e. g. circa liberum arbitrium atque operum bonorum necessitatem repugnant evidenter sanctitati coetus. Deest catholicitas, nam nulla est secta ex tot independentibus (singulae enim seorsim considerandae sunt cum sint diversae) universalis; sed unaquaeque certo Regno, certaeque provinciae est alligata. Imo omnes quoque simul Protestantium coetus non ante multos annos dicebantur non excedere numerum 66,000,000; nunc vero propter defectionem satis communem ad rationalismum certe imminuti sunt: at vero orientales divisi circiter 70,000,000 numerari solent; Romana vero communio plura etiam continet capita. Praeterea deest protestantibus character proprius catholicitatis, h. e. foecunditas per praedicationem Verbi; ut ex eorum missionibus liquet. Deest tandem Apostolicitas, cum vel a simplicibus presbyteris, vel a laicis inceperint, et laica potestate regantur: principium vero unitatis ea auctoritas esse debet, quam Christus in Ecclesia instituit, quae est auctoritas Episcopalis.

Evidens quoque est Ecclesiae Graecae schismaticaee deesse sanctitatem et catholicitatem. Imo si penitus spectetur, manifestum est quoque deesse ei alias duas notas. Nam 1) ecclesia russiaca, quae prius pars eius erat, deinde sub finem sec. XVII. desiit ei adhaerere, cum Patriarcha Russorum Nikon se subduxit ab auctori-

tate Episcopi Constantinop. Paulo post autem Petrus cognomento magnus, auctoritate patriarchali extincta, detulit supremam potestatem Synodo, cuius ipse Monarcha caput esset et praeses. Ergo in Ecclesia russiaca deest principium unitatis: hoc enim non laica potestas, sed auctoritas episcopalis esse debet, eorum nempe quibus Christus munus commisit regendae Ecclesiae. Praeterea vel ante separationem ab Ecclesia Constantinop. fruebatur Ecclesia russiaca principio unitatis vel non fruebatur: si non fruebatur, neque modo frui potest; non enim tunc erat Ecclesia Christi, et si tunc non erat, neque modo est, cum a se ipsa incipere non potuerit: si vero fruebatur, huiusmodi principium erat auctoritas Episcopi Constant. cui suberat; huic ergo subesse semper deberet: cum igitur modo non subsit, caret principio unitatis. 2) Ipsa Ecclesia Graeca quae per Michaelem Caerularium se separavit a communione Romana, subdita erat prius Episcopo Romano, eumque ut supremum caput et unitatis principium reverebatur (cf. subscriptiones Graecorum libello ab Hormisda et Adriano proposito). Iam vero vel Ecclesia Graeca potiebatur ante separationem principio unitatis, vel non; si potiebatur, ergo principium unitatis secundum ipsam Ecclesiam Graecam, ommissa quaestione an iure id censeretur, erat Romanus Pontifex, principium vero unitatis, eadem perseverante Ecclesia, idem semper manere debet; igitur modo caret Ecclesia Graeca principio unitatis. Si vero tunc non potiebatur hoc principium, neque tunc erat vera Ecclesia Christi, neque modo est. Constat ergo Ecclesiam Graecam schismaticam carere principio unitatis. Idcirco caret etiam vera apostolicitate; constat enim ipsam apostolicam non esse nisi specie tenus et materialiter. Si enim formaliter apostolica est modo, non fuit prius; et si non fuit prius; nec modo esse potest. Sane ut sit Ecclesia formaliter Apostolica, opus est ut auctoritas Apostolica derivetur in Episcopos ab eo qui eam obtinet eamque communicare potest: modo autem in Ecclesia Graeca ea derivatur ab Episcopo Constantinop.; ergo in hoc est posita iuxta Graecos apostolicitas formalis, ut ab Episcopo Constantinop. auctoritas omnis derivetur: atqui prius auctoritas Episcoporum Graecorum a Sede Romana derivabat, quae electionem omnium Patriarcharum confirmabat: ergo si modo est, non fuit antea Ecclesia Graeca vere et formaliter apostolica. Si autem tunc non fuit, neque nunc est; est enim iuxta ipsos Graecos continuatio illius. Ergo.

IV. E contrario coetus Romanae communionis contentus est evidenter *unus* unitate fidei, regiminis et sacramentorum, habetque in se principium unitatis, h. e. auctoritatem Romani Pontificis, cui omnes subsunt, cuius decreta fidei omnes reverentur, cuius legibus omnes

obediunt. Est *sanctus* perfecta et eximia cultura Christianarum virtutum, miraculis ceterisque charismatis, cuius rei testes sunt tot profitentes consilia evangelica, tot viri curae animarum intenti et in conversione infidelium occupati: tot stabiles in fide contra omnia adversa et iniquissimas persecutiones, tot meriti honores sanctorum etc. Est *catholicus*. Sane amplissima est Romana communio: sive enim ratio habeatur non quidem politicarum societatum quae nomen eius sibi vindicent, hoc enim impertinens est, sed Ecclesiarum Romae adhaerentium tum in vetere tum in novo orbe, sive fidelium multitudinis ubique terrarum dispersae etiam inter haereticos, schismaticos et infideles, quae fidem Romanam profitetur, amplissima est. Et quidem paucis ante annis censebantur eius capita circiter 207, 000, 000: dices tamen nunc esse imminutum numerum: verum advertendum 1^o peccata etiam publica non excludere per se ab Ecclesia: 2^o defectionem credentium suppleri continua accessione novorum fidelium ope missionum: 3^o cum boni et honesti libentius lateant, mali autem dominatum assecuti rumoribus et turbis omnia compleant, perperam ex multis malis Ecclesiaeque hostibus qui nunc apparent iudicium fertur comparativum de multitudine credentium et non credentium: 4^a ceterum etsi imminutus esset numerus ille sociorum Ecclesiae Romanae, neque enim est quid immutabile: tanta adhuc certe superest multitudo eorum ut sine dubio comparative maior sit ceteris sectis, in quibus et multo magis incredulitas stragem plurimam fecit. Est tandem Romanus coetus *apostolicus*: ad hoc enim non requiritur ut singuli Episcopi reducantur ad aliquem antecessorem vel institutorem Apostolum, quod et fieri non potuisset, sed sufficit ut prima cathedra cui omnis coetus subest et a qua omnis auctoritas derivatur, sit Apostolica, qualis certe est cathedra Romana. Quare Patribus, ut Irenaeo, Optato, Augustino, ad probandam apostolicitatem suae Ecclesiae satis fuit probare apostolicitatem cathedrae Romanae. Ergo.

Romana igitur Ecclesia est unice vera Ecclesia Christi. Ex quo licet colligere principium unitatis et rationem formalis successionis esse illud quod tale est in Ecclesia Romana, quod non est aliud quam Primatus Romani Pontificis.

Constat autem quod expedita hoc modo quaestione, facile est demonstrare nullam proprietatem vere competere cuique alii coetui: qui Christiani nomen sibi vindicet: ac vi solius Romani Primatus eas omnes proprietates in Ecclesia haberi. Sane ut iam vidimus, eae non habentur nisi mediante auctoritate ministerii a Christo instituti; atqui nullum est ministerium sine Petro, omnisque eius auctoritatis plenitudo est in Petro suisque successoribus: ergo. Et re

quidem vera si sermo sit de unitate, iam ex alibi demonstratis constat eam a Primatu Petri originem ducere. Si sermo sit de Apostolicitate, tenendum est Apostolicitatem necessariam Ecclesiae esse primum et per se Apostolicitatem Petri, quae quidem integra perseverat in Ecclesia Romana. Catholicitas autem unius societatis haberi non potest nisi per eam efficacem auctoritatem, cui totius Regni caelorum in universum mundum propagandi potestas suprema data est, et cui proinde, ut Ecclesia loquitur, omnia regna mundi tradita sunt. Sanctitas pariter quae sanctitatem fidei supponit, sancta administratio sacramentorum, sanctaeque leges, per eum oportet obtineantur in Ecclesia qui est magister infallibilis fidei, cui tanquam supremo et universali Pastori legitima administratio sacramentorum concedita est, atque universalis et plena potestas ligandi et solvendi collata: ergo.

Corollarium. Ergo appositum *Romana* factum Ecclesiae nota est qua Ecclesia vera a falsis coetibus discernitur: hac enim appellatione repraesentatur ille coetus qui est vera Ecclesia, cui iure divino praeest Episcopus Romanus.

O. A. M. D. G.